



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

71. An donatio mortis causa inter coniuges sit valida? Et explanatur, quod regulariter cuicumque legari, eidem & mortis causa donari possit & nullo iure prohibitum sit quin à coniuge coniugi legatum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

Et non est. Idem est si donatio inter coniuges fiat per interpositas personas, ut si vir det aliquid cuidam ut donet uxori, paria enim sunt per se, vel per alium facere, cum quod per alium facit, per seipsum censetur facere.

3. Sed non deseram hic apponere verba Azorij, l. 3. lib. 11. c. 10. q. 8. sic asserentis. Queritur, an donatio inter virum & uxorem confirmetur morte civili, quæ est per solemnem professionem in Religione emissam: Innocentius in c. donatio, negat confirmari, quia requiritur mors, qua matrimonium dirimatur: matrimonium autem non nisi naturali morte dissolvitur. Sed Ioannes Andreas, & Cardinalis in prædicto, c. donatio, sentiunt confirmari, dummodò matrimonium sit ratum, non consummatum, & professio sit Religionis, quæ nihil proprium habet priuatum, aut communitatis, qualis est Religio Mendicantium, eo quod bonarius, qui in Monachalem Religionem ingreditur, in eaque professione non emittit, iure communi transcat ad Monasterium, Aut si qua mulier, c. de sacrosanctis. Eccles. Sed hoc Innocentius non negaret. Ita Azorius, cui ego adhareo.

4. Nota tamen, quòd præter supradictas alia adfunt, in quibus donatio inter virum & uxorem secundum leges præmittitur, quas ex Theologis enumerat Azorius loc. cit. q. 4.

RESOL. LXXI.

An donatio mortis causa inter coniuges sit valida?

Et explanatur, quòd regulariter cuiuscumque legari potest, eidem & mortis causa donari potest: & nullo iure prohibetur sit, quin à coniuge coniugi legatum relinquatur.

Et quòd in dubio, an donatio: si expressè non constat, quales donationes coniuges, vel alij facere voluerunt, præsumitur causa mortis, nec inter viuos. Exp. 8. tr. 6. Res. 30.

§. 1. **A**D hoc dubium respondet Fagundez de contr. lib. 4. c. 5. n. 2. vbi sic ait: Insuper dubium non mediocre, an saltem valida sit donatio causa mortis inter virum & uxorem? Respondo hac de re duas esse opiniones. Prima docet validam esse, siue præcesserit traditio rei, siue non præcesserit, mortisque statim confirmari, hanc docet Emmanuël à Costa in c. si pater, l. pari. v. Legatus, à n. 1. Molina t. 2. de iust. disp. 288 §. dubium est. Anton. Gomez ad l. 50. Tauri, n. 66. patet ex leum seruum §. vlt. & ex l. sed inter §. sed quod ff. de donation. inter virum & uxorem. Quamobrem si vnus coniux alteri rem in singulari determinatam causa mortis donauerit, dominium illius statim transit in donatariū post mortem donantis; quamuis verò vnus coniux statim in vita tradat alteri rem, quam illi post mortem donauerat, tamen dominium illius tot modis manet reuocabile, quot modis ipsa donatio reuocabilis est, iuxta supradicta. Contrarium tenet Iulius Clarus lib. 5. sen. §. donatio, q. 9. n. 1. & 2. vbi docet donationem inter virum, & uxorem, inter viuos, & causa mortis, regulariter loquendo, non valere: & pro hac opinione citat glossam in l. 2. in princ. v. Legatum, ff. de dote preleg. & hanc etiam tenet Couarr. in rubr. de test. in 3. p. n. 2. citat etiam l. 1. ff. de donationibus inter virum & uxorem. Et rationem reddit, quia optima ratione introductum fuit, ne coniuges mutuo amore se spoliarent, ut dicit ibi textus. Sed hos explicat Molina, & Antonius Gomez de immodicis donationibus, non verò de ordinatis, cum tamen textus loquatur absolutur, & non distinguat inter moderatas, & immodicas. Videtur hæc opinio Iulij Clari iuri conformior, & consentaneior. Ita Fagundez.

2. Sed ego contra Clarium, & Fagundez primæ sententiæ adhareo: nam apertè Vlpianus respondit inter virum, & uxorem mortis causa donationes esse re-

ceptas, l. si cum uxori, §. vlt. ff. de don. inter virum & uxorem. Et in subsequenti l. quia, v. ciusrationem Caius hanc assignat, quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir & vxor esse desinunt. Eandem sententiam corroboret textus, in l. vbi ita donatur, §. 2. ff. de mort. caus. don. vbi Marcianus Iuriconsultus donationem ita factam, ut nullo casu reuocetur, idè inter virum & uxorem non valere dicit, quòd non sit donatio causa mortis, sed inter viuos; vnde facile coniungitur, donationem mortis causa inter virum & uxorem subsistere. Accedit textus in l. pen. ff. dist. tit. ex qua liquidd constat, donationem istam inter coniuges esse validam. Adde, quòd regulariter cuiuscumque legari potest, eidem & mortis causa donari potest, & nullo iure prohibetur sit, quin à coniuge coniugi legatum relinquatur, l. Marcellus, §. 1. c. si debitor, l. 7. l. illud generaliter, §. 7. ff. de mort. caus. don. Atqui huic patrociniatur sententiæ Antonius Gomez tom. 2. var. res. iur. civil. c. 4. n. 18. v. res. Nono. Grassus d. §. donatio causa mortis, §. 6. n. 1. Schneidevvinus in hoc §. 1. n. 6. & §. 2. n. 6. infra hoc tit. D Bocerus d. comment. de don. c. 5. n. 36. & class. 2. disp. 19. thes. c. o. edit. 2. Hunnius lib. 2. var. res. iur. civil. tr. 4. q. 6. Thaddæus Pilo d. lib. 4. var. res. c. 4. n. 15. Myllyngerus cenc. 2. obseru. 13. Vaudus lib. 1. q. 39. Vvesembec. in Paratit. ff. de mort. caus. don. n. 4. Treutlerus disp. 19. thes. 4. lit. B. vol. 2. Fortlerus disp. 10. thes. 7. Berlichius p. 2. concl. præf. concl. 15. n. 6. & p. 3. concl. 1. n. 30. & Thomas Sanchez tom. 1. de mar. lib. 6. disp. 10. quibus adde Dicastillum lib. 2. tr. 5. disp. 1. dub. 5. n. 8.

3. Nec obstat quidquam textus in l. mortis, §. 3. ff. de donationibus inter virum & uxorem; vbi Papinianus respondit, focerum frustra donare genero, vel nurui. Hinc non rectè colligitur, si donatio mortis causa nurui à focero facta non valet, propterea quòd is maritum habet in potestate, idè multò minus valere donationem mortis causa, si ab ipso marito facta sit vxori, Diteria siquidem est ratio foceri, & mariti mortis causa donantis. Maritus namque donare potest vxori mortis causa, quia hæc donatio in id dirigitur tempus, quo matrimonium morte mariti fuerit dissolutum, atque ita demum suum effectum sortitur. At foceri donatio non confertur in tempus promissum soluti matrimonij, cum morte foceri coniugium inter filium & nurum donatoris non dissoluatur, sed adhuc duret.

4. In dubio autem donatio, si expressè non constat qualem donationem coniuges, vel alij facere voluerunt præsumitur causa mortis, nec inter viuos, per textum elegantem in l. apud, c. l. sum 4. §. Iulian. scripsit. i. ff. de doli mali & metus excepti. vbi maritus, qui donauit vxori, vel alij, ut tamen res donatæ ad mulierem pertinerent, potest contra mulierem, vel alium opponere doli mali exceptionem, & res donatas repetere. Ergo in hoc dubio præsumitur donatio causa mortis potest reuocari, & non donatio inter viuos, §. 1. & seqq. Inst. de don. l. vlt. & toto tit. C. de reuoc. don. l. qui mortis causa, §. 10. ff. de mort. caus. don. Deinde, quia quilibet actus debet potius sustineri, quàm vt corruat, & si non potest eo modo valere quòd debet, tamen valeat alio modo, quo potest, l. si miles, §. ff. de test. milit. l. quoties, v. ff. de verb. oblig. Ita eleganter in terminis statuit Franciscus Ripa, in l. de peste, tit. de priuileg. contr. tempore pestis, n. 178. sub. fin. vers. & ex hoc dicto iustificatus, n. 179. Petrus Heigius p. 2. q. 17. incip. Donauerat quidam in orbe, n. 2. 3. & 4. Iacobus Menoch. lib. 3. præsumpt. 26. incip. Cum nulla iuris mentio, §. seq. per totum. Dissentit grauius Petrus Peck. tr. de test. coniug. lib. 2. c. 7. incip. Pater opinor, ex iam dictis n. 2. & sequentibus.

RESOL. LXXII.

Quid sit donatio causa mortis, & quorū lex?